



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Quot modis fiat mutatio in forma.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Primò, Quia id postulat appellatio materiae & formae, qua dicuntur consistere. Secundò, Quia utraque concurrat ad significandum & sanctificandum; ac proinde ad componendum vnum perfectum Sacramentum perfectè significans & sanctificans. Denique altera alteram determinat, sicut forma materiam: non tamen idcirco necessarium est, ut haec materia & forma aliqua sui parte simul existant, sed sufficit ut habeant eam coniunctionem, quae satis sit tum ad formae veritatem, tum ut forma censeatur talem materiam determinare secundum moralem aestimationem. Vnde in Baptismo, si ablutionem statim sequatur forma, vel formam ablutio, erit verus Baptismus, modò ita coniuncta sint, ut humano more verum sit, *Ego te Baptizo* &c. Idem in ceteris. In Matrimonio tamen & Pœnitentia longè plus temporis potest intercedere, quia Matrimonium sequitur rationem contractuum, Pœnitentia iudiciorum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum liceat aliquid addere verbis Sacramentalibus?

25 **R**espondetur, Non licet aliquid addere vel adimere verbis Sacramentalibus: Sacramentum tamen non destruitur, nisi illa additio vel detractio peruertat sensum formae. Haec est communis doctrina Patrum: & docet apertè Basiliius lib. de Spiritu sancto ad Amphilochem cap. 12. ubi dicit eum à vita excidere qui aliquid praescriptae formae Baptismatis addit. Didimus lib. 2. de Spiritu sancto, paulò post initium, *Qui vnum de praecipuis nominibus praetermittit, nec Sacramentum perficit, nec hominem à peccatis liberat.* D. August. lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 25. *Certa sunt verba Evangelica, sine quibus non potest consecrari Baptismus.* Idem patet ex dictis circa articulum 7. Sed est

DVBIVM I.

Quot modis fiat mutatio in forma?

26 **R**espondeo, Generatim sex modis. Primus, Quando verba formae transferuntur in alia; idè dupliciter. Primò, In aliam linguam; ut si quis gallicè; vel partim gallicè, partim latinè Baptizet: quae mutatio nihil officit, ut notat Caietan. art. 7. Secundò, In synonymum eiusdem linguae; ut, pro *Baptizo*, *tingo*, *abluo*; pro *In nomine Patris, & Filij, &c.* *In nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque*. Vtrum verò etiam possit dici pro *Baptizo*, *mergo*, dubium est, & magis an *purgo*, *mundo* &c. non enim idem valent, quod *Baptizo*; nec significant conferri gratiam per modum ablutionis. Aduertendum autem hic est, synonymum distinctè debere idem significare; non enim sufficit *Ego te Baptizo in nomine Trinitatis*. Quòd si nomen sit æquiuocum, modò intendas eo uti in significatione qua æquiualeat nomini formae, non vitiat Sacramentum; nam omne ferè nomen habet aliquam æquiuocationem.

2. Corruptio. Secundus modus est, Cum verba corrumpuntur: quod fieri potest tripliciter. Primò, Ex impedimento linguae, vel mala consuetudine: Secundò, Ex ignorantia; sicut is, qui ex ignorantia

linguae latinae baptizauit *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; qui modi corruptionis non officiant Sacramento; nam qui sic baptizauerat, validè baptizauit, ut rescripsit Zacharias Papa sancto Bonifacio Apostolo Germaniae: habetur de consecratione dist. 4. capitulo *Retulerunt*. Ratio est; Quia qui ita pronuntiant, intendunt facere quod facit Ecclesia; & verba illa cum talibus circumstantijs prolata, satis clarè ex consuetudine hominum intelligentia significant diuinas personas, & habent sensum què habet forma incorrupta. Tertio, Ex affectata malitia; ut si quis sciens & prudens sic baptizaret; tunc distinguendum: Si id faceret animo aliud significandi, quàm ordinaria forma, verbi gratia, *Deum habere Filium* (quod D. Thomas ait, *Animo inducendi errorem*) certum est non fore validum Sacramentum; quia non intendit facere, quod facit Christi Ecclesia; & ipsam formam reddit falsam; nam ex ipsius intentione determinatur ad falsam significationem. Quòd si intendat significare id quod Ecclesia significat, tamen ita pronuntiet ex motiuo aliquo superstitioso vel vano, erit validum Sacramentum; quia omnia necessaria adsunt.

Tertio, Mutatur forma additione; idque tripliciter: Primò, Si addas vera, ut *Ego te Baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij redemptoris, & Spiritus sancti Paracliti*; validum erit Sacramentum: Secundò, Si addas falsa; ut *In nomine Patris creatoris, & Filij à patre creati, & Spiritus sancti à Filio creati*; qua forma utebantur Eunomiani teste Epiphaniae Hæresi 76. Talis etiam est illa Colarbasiorum apud Irenæum lib. 1. contra Hæreses cap. 18. *In nomine ignoti Patris omnium* &c. & tunc irritum est Sacramentum. Tertio, Si addas dubia; ut *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beatae Virginis*: tunc si intendas significare beatam Virginem esse etiam causam principalem consecrationis Baptismi cum diuinis personis, nihil efficietur, quia forma erit falsa: Si autem velis significare Baptismum conferri in honorem beatae Virginis, aut per eius intercessionem, ratum erit.

4. Detractione. Quarto, Mutatur forma detractione verborum; quae detractio, si non peruertat aut mutet sensum, non officit Sacramento: ut si omittas particulam (*Ego*) in forma Baptismi; vel particulam (*enim*) in forma Consecrationis Eucharisticae. Si autem mutiles sententiæ, nihil efficietur; ut si detrahas nomen *Patris* aut *Filij* &c.

5. Transpositione. Quinto, Per transpositionem verborum; hæc sola non vitiat Sacramentum, modò debita intentio idem significandi adsit, & illa transpositio non sit talis quae sententiæ repugnet. Ut, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti ego te Baptizo*: valet. Si verò sic, *Baptizo Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomine, ego in*: nihil valet.

6. Disiunctione. Sexto, Per disiunctionem partium formae; quae disiunctio, si tanta sit ut ex modo proferendi non censeatur vna oratio, vna integra sententiæ, non efficietur Sacramentum; ut si quis dicat *Ego te Baptizo*, & post horam addat, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Secus est, si parua sit intermissio.

Regulae duae valde notandae. Pro omnibus his, & similibus formae mutationibus notandae sunt haec duae regulae. Prior est: nulla mutatio verborum retinens eandem sententiam, siue ex vi verborum siue ex usu hominum

3. Additio.

4. Detractione.

5. Transpositione.

6. Disiunctione.

Regulae duae valde notandae.

num;

num, vitiat Sacramentum. Altera est; Omnis mutatio verborum, non retinens aliquo modo eandem sententiam, irritat Sacramentum.

DVBIVM II.

Quando Intentio Ministri vitiet Sacramentum?

27 **D** Thomas videtur velle intentionem Ministri tunc irritare Sacramentum, quando in ipsa mutatione formæ intendit introducere novum ritum in Ecclesiâ, & quando de industria corruptè profert verba, quæ tamen non videntur vera.

Intentio bona.
 Respondeo & Dico Primò, Intentio Ministri necessaria ad Sacramentum est ea, quæ intendit facere id quod facit vera Christianorum Ecclesia quæcumque demum illa sit, siue id quod Christus instituit. Patet ex Concilio Florentino.

Intentio mala.
 Dico Secundò, Si Minister aliud intendat significare verbis formæ, quàm Ecclesia significet, nihil efficitur, etiam si formam integrè proferat; vt si per *Filium* in forma Baptismi distinctè intendat significare aliquam excellentem creaturam, iuxta sententiam Arianorum. Ratio est, tum quia deest legitima intentio; non enim intendit facere, quod facit Ecclesia, hoc est, idem Sacramentum, eodem sensu & intelligentia tum quia forma mutatur, non quidem materialiter, cum eadem verba pronuntiet, sed formaliter, quatenus est significatiua: vnde non exhibet signum, quod Christus instituit, sed aliud quod ipse excogitat. Nomen enim *Filij* est æquiuocum ad verum *Filium* & *adoptiuum*, & per intentionem proferentis determinatur ad significandum *Filium adoptiuum*. Secus esset si per *Filium* distinctè non intenderet *Filium adoptiuum*, sed generatim *Filium Dei*, de quo Scripturæ & Christus loquuntur, licet ipse apud se existimaret hunc esse creaturam; tunc enim esset verus Baptismus, vt colligitur ex Concilio Arelatensi primo. Canone 8. Sic enim quidam Ariani baptizabant. Ratio est, Quia hîc est legitima forma, & legitima intentio; nam verè intendit baptizare in eodem *Filio*, in quo Ecclesia. Nec obstat quòd putat hunc esse *Adoptiuum*, vel creaturam; quia hic est error priuatus, qui per accidens formali intentioni coniunctus est.

28 Si addat aliquid falsi.
 Dico Tertio, Si quis ad integram formam addat aliquid falsi tanquam partem formæ, non efficitur Sacramentum: vt si in consecratione Eucharistiæ dicat, *Hoc est Corpus meum, quod è celo sumptum est*, nihil efficit, quia facit formam falsam. Si tamen non addit illam falsam particulam tanquam partem, sed solum vt explicet suam sententiam de Christi Corpore, verè consecrat, etiam si errorem nitatur inducere. Et ratio est, Quia illa intentio est distincta ab intentione consecrandi & faciendi quod Christus instituit; nec in eam influit; & actio illa distincta est ab actione consecrandi, solumque per accidens iunguntur.

Si addat aliquid non necessarium.
 Dico Quarto, Si quis addit aliquid ad formam tanquam necessarium ad illam, putans sine eo non confici Sacramentum, si tamen hoc verum sit, & intendat facere id quod facit vera Christi Ecclesia, efficitur Sacramentum: vt si quis putet formam Græcorum, *Baptizetur seruus Christi*, esse necessariam; & nitatur hunc ritum tanquam necessarium

inducere in Ecclesiam latinam. Similiter si putet esse dicendum *In nomine Patris omnipotentis &c.* aut illa verba, *Noni & æterni Testamenti &c.* esse necessaria &c. Ratio est, Quia verè intendit facere, quod facit Christi Ecclesia; & vititur forma quæ in substantia idem valet; & quamuis putet hæc vel illa verba esse necessaria, quæ tamen non sunt, hoc non obstat; quia non excludit legitimam intentionem faciendi Sacramentum per ea quæ re ipsa necessaria sunt. Non enim Minister tenetur semper scire, quæ verba sint de substantia formæ, vel non.

Dices, Quid si sciret veram Christi Ecclesiam sentire illa verba non esse necessaria ad substantiam Sacramenti, imò prohibuisse ne addantur, & ipse nihilominus vellet addere tanquam necessaria.

Respondeo, Tunc presumitur non habere legitimam intentionem: Et sic intellige D. Thomam in Corpore, cum ait; *Si per illam additionem vel diminutionem intendat inducere ritum qui non sit ab Ecclesia receptus, aut de industria corrumpti verba, non videtur perfici Sacramentum*; nempe quia presumitur non habere legitimam intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Si tamen talis intenderet generatim facere, quod Christus instituit, & eatenus adhibere omnia, quatenus Christus requirit (quamuis id rarò fiat) verum conficeret Sacramentum, etsi putaret illam additionem esse de substantia, & vellet hunc ritum inducere in Ecclesiam. Idem dico, Si detrahat aliquid non necessarium, putans esse necessarium, modò prædictam intentionem habeat saltem conditionatè, nempe faciendi quod Christus instituit si quid fieri possit. Vnde patet non esse verum; quod ait Dominicus Soto scribens in hunc articulum: *Si Ecclesia damnaret ritum Græcorum, Græcos nihil effecturos; nam possunt Græci habere intentionem requisitam, & Ecclesia non potest facere, vt id quod erat legitima forma, desinat esse forma Sacramenti.*

Petes, Quale peccatum est, aliquid mutare in formis Sacramentorum?

Respondeo Primò, Si de industria, aut ex crassa negligentia fiat tanta mutatio, vt Sacramentum reddatur irritum vel ambiguum, erit mortiferum sacrilegium. Idem dicendum de Materie mutatione. Ratio est, Quia est grauis irreuerentia irritum reddere Sacramentum; vel etiam exponere se huic periculo, quando id potest vitari. Quòd si id vitari nequeat, & alioqui salus proximi postulet, potes vti dubio Sacramento: Siue dubium sit ratione Materie; vt cum quis absoluit in extremis cum solis signis contritionis; Item, Si Confirmatio detur in solo oleo benedicto, eò quòd nusquam possit reperiri balsamum: Siue ratione subiecti; vt cum infans baptizatur in solo digito, eò quòd reliquæ partes attingi nequeant: Siue ratione formæ; vt si tegeas extremè baptismo, vel penitentia Sacramento, & Minister ex ignorantia vtatur forma ambigua. In his casibus necessitas excusat, ne censetur irreuerentia.

Dico Secundò, Si tamen ex parua negligentia hæc mutatio ferret, esset solum veniale, quamuis Sacramentum esset irritum.

Dico Tertio, Si ex distractione, potest esse nullum peccatum; nempe quando distractio est omnino inuoluntaria, & naturaliter accidit.

Dico

Mens D. Thomæ

29

Quando pollimus vti dubio Sacramentis.